



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXXVIII. De Pœnitentiss & Remissionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](#)

TITULUS XXXVIII.

De

Pœnitentiis & Remissio- nibus.

QUÆRES I. Quid sit Pœnitentia & quo-
tuplex? Respond. Pœnitentia est quædam
dolentis vindicta, puniens in se, quod com-
misisse dolet. *can. pœnitentia est, dist. 3.* Non igitur
sumitur pœnitentia pro Sacramento, sed pro vin-
dictâ sive sponte susceptâ sive à Sacerdote imposi-
tâ. Pœnitentia sic considerata duplex est, *interior*
& *exterior*; illa in corde tantum & interno consi-
stit affectu; hæc verò etiam foras prorumpit, dum
delinquens in planctum, gemitus, & lachrymas
resolutus, in se punit, quod iniquè egit. Item a-
lia publica est, alia privata. Publica item duplex,
solemnis & non *solemnis*. Solemnam imponit Epi-
scopus ob commissa delicta publica, adhibitis cer-
tis solemnitatibus, quas recensent *canon. pœnitentes*
& *can. in capite dist. 50.* non *solemnis* est quæ pu-
blicè quidem imponitur, sed citrà omnem Juris
solemnitatem; talis pena est peregrinatio ad li-
mina Apostolorum vel alia loca pia, &c. Ideo au-
tem publicæ Pœnitentiæ introducuntur sunt, quod
rationi congruat, publica delicta publica pœni-
tentia expiari. *cap. I. b. t.* Privata pœnitentia est,
quæ privatim suscipitur vel injungitur etiam pro de-
lictis gravibus occulte tamen patratis. Privatas
Pœnitentias

Pœnitentias cuicunque delinquenti vel propria suggesteret devotio, vel discretio confessarii docebit; publicas in Canonibus pœnitentialibus & aliis Juris Canonici locis & titulis reperies.

Q U A E R E S 2. Quid sint Remissiones? Respond. Nomine remissionum veniunt indulgentiae quæ sunt remissio pœnae peccatis debitæ facta per merita Christi & Sanctorum in Thesauro Ecclesiæ contenta; nam licet per contritionem & confessionem Sacerdoti factam deleatur culpa, remanet tamen quandoque temporalis pœna, ut patet in Davide 2. Reg. 12. quæ pœna per Indulgentias tollitur, dum summus Pontifex Successor Petri & Christi Vicarius, merita satisfactoria Christi & Sanctorum applicat in satisfactionem pro alienis peccatis; Hanc autem potestatem esse in Ecclesiâ Dei, ex 1. Corintb. 5. patet, ubi Apostolus excommunicavit Corinthium propter incastum commissum; dicit enim quod tradiderit illum Sathanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini. Hæc Traditio Sathanæ facta non erat Damnatio Corinthii, quia nocebat tantum corpori, ut salvaretur Spiritus; nec erat mera Declaratio peccati ab hocce Corinthio patrati; nam Declaratio peccati jam præcesserat, dum illum commissi peccati arguerat; sed erat pœna tali peccato debita, & quidem pœna temporalis, quia si æterna fuisset, eum perpetuò condemnare debuisset. Hanc autem pœnam Apostolus Corinthio condonavit, & quidem ex gratiâ non præcedentibus ejus meritis; ait enim 2. Corintb. 2. sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio hæc, ut è contrario magis donetis, ne absorbeatur abundantiori tristitia;

cui autem vos condonatis & ego condono. &c
Sunt verba Pauli. Huic igitur Corinthio, illo
tempore quo Paulus secundam scripsit Epistolam,
peccatum jam erat remissum, quia contritus erat,
alias nec Paulus, nec Corinthii quidquam remis-
tere potuissent; & nihilominus peccato jam re-
missio Paulus incastuoso huic Corynthio adhuc ali-
quid remisit, & quidem loco Christi, ut verba no-
tant sequentia; hoc autem nil aliud erat, quam po-
na temporalis, cuius Remissio in Ecclesiâ nomine
indulgentiarum venit.

TITULUS XXXIX.

De

Sententiâ Excommunica- tionis.

QUÆRES 1. Quid sint Censuræ? Respond.
Censuræ latius acceptæ significant quamcun-
que poenam Ecclesiæ correctoriam, stricte
autem sumptæ sunt poenæ spirituales & medici-
nales quibus Ecclesia ad corrigendos delinquentes uti-
solet, & deficiuntur, poenæ spirituales & medi-
cinales, quibus potestas Ecclesiastica exterior fide-
les delinquentes & contumaces bonorum quoru-
dam spiritualium usu privat ad eorum correccio-
nem. Tales censuræ propriæ dictæ sunt tres, vi-
delicet excommunicatio suspensio & interdictum.

QUÆRES 2. Quid sit Excommunicatio
& Quotuplex? Respond. Excommunicatio quasi

extra